
Ieliński Seb. Staniel: Architecta gloriae et ho-
noris ascia –


V
B J
D

ARCHITECTA GLORIÆ ET HONORIS ASCIA,

Illustrissimo ac Magnifico Dño,

D. CAROLO DE CZEKARZOWICE TARŁO,

PALATINO LUBLINENSI, STEZICENSI CAPITANEO,

DUM

Lublini in Comitiis eiusdem Palatinatûs, inter felicissimi ingressûs auspicia, maximo publicæ lætitiæ applausu EXCIPERETUR;

A

M. SEBASTIANO STANISLAO JELINSKI,
In Alma Universitate Cracouiensi, Philosophiæ Doctore & Professore,

promptissimo obsequio,

PRÆSENTATA.

Anno reparati à Deo Homine Mundi, 1685. Mense Julio.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Auitum Inſigne Illuſtriſsimi Domini.



FVlget Sarmaticæ fabricatrix ASCIA molis,
Hanc vſus Patriæ nobilis arte polit,
Hæc Aras, hæc Templa ſtruit ſacroſq; Penates
Clavas Magnorum condit & illa Ducum,
Sceptra ſuo candore beat, ſoliumq; ſerenat,
Sanguinei Martis celſa trophæa parat.
Nonnè Palatinas potuit fabricare Curules
Sarmatiæ quæ tam nobile ſtruxit Opus.

ORATIO.



Agnum iſtud Nominis Tui decus, quod capeſſis ILLVSTRISSIME DOMINE, & fulgur hoc ASCIÆ Tuæ, quod feliciſsimo ingreſſu explicas; ſicut animos omnium, quibus, toto plaudente theatro, comitatus ingrederis, in immenſam lætitiæ attollit magnitudinem; ita ingenia in anguſtos concludit limites, quibus laudandi Tui grandior incumbit moles; vt ſcribere de Te quidpiam dicereque, ceu Lugdunenſem Rhetor ad aram expalleſcant. Amplitudo quippè meritorum & gloriæ Tuæ, dum eò deuenit faſtigij, quò omnium votis & deſideriis ferebatur; quantâ demulcet voluptate mentes, votis tandem ſuis redditas: tantis pectora Phœbo Muſisque ſacra, circumuoluit difficultatibus; dum virium ſuarum conſcia, nihil tanto Nomine dignum, nihil tantis laudibus æquale, in ſua tenuitate intuentur: & non vano ſibi præcauent; quod vetus monuit ſapiens antiquitas; ne diſſimiles ſui magnæ virtutes, ingenij culpâ euadant; illuſtriores futuræ, eleganti ſilentio; quàm inculto temeratæ ſermone; quæ ipſæ ſe ſuis oſtentant glorioſiùs ornamentis; quàm ab Oratione nouæ commendationis aliquid mutuantur. Neq; enim in cuiuſquam lucubratis quantumuis præconiis, adeò ſublime quidpiam & elaboratum eſt: quod ingentibus Tuis meritis, vt par eſt dilaudandis, impendi: virtutibusq; Tuis, quibus ſupra humanæ facundiæ captum promines, ex æquo conferri poſſit. Loquitur abundè ſatis, rectèfactorum Tuorum conſcia, per Orbem Sarmaticum volans fama; quibus Te viderat Reipublicæ momenta librantem eminere: loquuntur tot præſtantiſſimorum in Republica virorum de Te ſenſus; quem in omnibus ſpectârunt negotijs, amantem Patriæ, Principi fidum, animo candidum: & cùm pleroſq; Prothei genus varias ſimulare formas, mutare faciem, varioſq; ſumere colores, albi & pudici neſcios Chamæleontes, conſpexerint: Te ſemper illibatum, in quamcunq; incideris rerum temporumue ſeriem, præteferentem pectus, illimi candore, illæsâ mentis integritate, calcatis infenſorum machinamentis obluctatum, Herculeis paſſibus, ad publicum decus & commodum, ad immortalitatem gloriæ contendiſſe ſunt experti. Loquuntur inquam ardua

dua

dua quæuis negotia, Tuam in omnibus dexteritatem, ſapientiam, prudentiam: non tamen, ita Tua computant acta; ita attingunt laudes; vt eas in compendio referre, complectiq; poſſint: quin plura longè cogitantibus dicenda ſuperſint; omnibuſq; his eminentiùs Tua ſpectetur gloria. Adeò; vt non ſolius Macedonis aduentus Orphei ſimulacro ſudorem expreſſerit; quaſi ille cui arbores & ſyluas in plauſus excire parum fuerat; ad tanti Principis aduentum imparem erubeſceret Cytharam: ſed Tuus etiam, grandi meritorum mole in anguſtias redactis ingeniis, lene admouens tormentum, ſudorem palloremq; eliciat: atq; ſilentio potiùs iubeat venerari; quàm, vt tenuiori ſuadâ laudes Tuas deterere audeant præſumantq;. Hæc demum ancipitem cura, hæc difficultas ſola circumſtat. Ad auſpicatum enim ingreſſum Tuum, quo vrbem hanc, animoſq; omnium ſerenas; aut animum in vota plauſusq; effundere; aut parum firmo, cum Phaëtonte, vel Icaro, niſu, ceratiſuè ope Dædalea pennis, proprio dedecori laborare, ineuitabile quidem omnino, omnino tamen ſubeundum. Nec moratur promptiſſimum in Tuas laudes ſtudium, ingens ille, & ſe ipſo maior Pellæi Iuuenis faſtus, ſolius ſe Apellis pingi penicillo, aut Lyſippi arte in æs incidi præcipientis; aut illa non omni ex parte auguſta, nec auguſti verè animi, Auguſti Philautica, de rerum ſuarum fortunatis ſucceſſibus; gloriatio & edictum; ne ſummorum etiam ingeniorum, niſi ſerium quidpiam, calamus indulgentior, de ſe præſumeret ſcribere, nomenq; ſuum impari elogio temerare: quin inter Ledeos obſtrepat anſer olores, ac inter ſumma, tenuiora etiam, in paginam, laudeſq; Tuas, quarum immortalitas Tua torcular eſt, ingenia ſoluantur. Erigit namq; animum, quamuis longè imparem, incredibilis Tua, & in omnes æquanimis humanitas, ac modeſtia: quæ cùm ſupra omnes laudes ſita ſit, patiatur etiam à minoribus prædicari. Auget fiduciam innata Gentilitiæ Aſciæ Tuæ, non omnino ferrea indoles: nimirum non lethale, nec cruentum, ſubiectorum ſibi pectorum viſceribus infligere vulnus aſſueta; ſed ſuaue: & quamuis præſtantiſſima Cedris ipſis Dodonæâ ſyluâ exciſis, palatia ſtruere docta; non tamen, viliores etiam abietes aſpernari ſolita. Et certè ſi mouerat Amphion ſaxa; ſi Threiicius Vates robora & ſyluas; eiuſdemq; ſimulacrum in Macedonis aduentu, ſudore ad vſq; ſtuporem ſeculorum manauit; velut in tanti Principis encomio, etiam

am elinguis ſtatua deſudaret: quis hîc rigentem etiam cum ſaxis animum, ingeniumuè, teneat? vbi tu felicior, & extra fabulas Amphion, non Thebanorum murorum; ſed propriæ dignitatis Dædalus, collectam maximam ptetioſorum lapidum ſtruem, virtutum nempe ac meritorum cumulum, miro animi venuſtiſſimi concentu, ſingulare humanitatis melos reſonante, in victurum opus coegiſti: quin inter adamantes, carbunculos, ſmaragdos, berillos, ſaphiros, rudiores etiam ſilices geſtiant properare: cûm ad hunc attriti chalybem, potiùs ex tenuitatis conſcientia, ruboris; quàm ingratitudinis ſcintillas micare malint. Permittes igitur ILLVSTRISSIME DOMINE, exilis Oratoris conatum, ad hanc purpuratæ Curulis Tuæ Architectam accedere; atq; tenues has leueſq; chartas, inter tegulas auguſtæ iſtius Ædis, ab edaci rerum imbre, temporumq; iniuria vindices, benignè recipies.

Auguſtæ eminentiſſimarum ſtirpium moles, cùm ſuæ celſitudinis verticem, quà titulis, quà meritis cælo inferunt; cùm immortalitati ſtudent; continuam ab atauis ad nepotes illuſtrium meritorum deriuationem, poſcunt operoſæ eius fabricæ Architectam. Et quamuis glorioſior ſuæ quiſq; laudis Dædalus ſit; atq; cuiuis, ad felicitatem omnium maximam emergere, virtutis ac immortalitatis opus, communi idiomate cenſeatur; non eſt tamen otioſum, in altum amplumq; ſurrecturo operi, quadratos ſupponere lapides, quibus ſuperſtruenda moles innitatur; ſed magnum perennitatis auſpicium. Citiùs tutiùsue, in ſolido cæpta perfici & conſummari poſſunt; quàm quæ debili, aut nullo nixa fundamento, ſimul ortum accipiendo, mox in ſpecioſum quidpiam cupiunt eluctari. Citiùs Roma ſub Auguſtis, in Orbis Dominam creſcet, quàm Baucidis caſa, in Regiam Cyri. Vecors Pyreneus, alliſo ad ſaxa capite, ſerò luget; quòd ex Regia, ad Parnaſſi verticem ſubitò euolaret. Multis hoc vitio laborantibus, ars Dædalea quidem in amore; ſed & caſus Icari, pluribus in praxim venit: cùm feſtiua non ſint, quæ feſtina. Nec immeritò, ea res apud laudantium genios, non contemnendo recepta vſui, quoties in magnarum virtutum panegyres eundum eſt: vt abſq; deformi aſſentationis ſuſpicione, ac vectigali, in amplis earum ac vicinis cælo ædibus, à prima lapidis angularis indagine, ad ſumma quæq; & pulcherrima contemplanda faſtigia progrediantur. Non

enim ſola inde magnorum Nominum gloriæ, magno vanitatis nihilo intumeſcens pompa ſtruitur; cùm è ruderibus Sarcophagi, ad celebranda Nepotum merita, auguſtos Maiorum Manes, in lucem reproducere neceſſum eſt. Imagines iſtæ ſunt, ex quibus lineamenta virtutum, ideas nobilitatis, tranſſumant nepotes, non ſolam trophæorum, ſed virtutum quoq; referentes hæreditatem: quibus non tantùm natus in Herculeo Fabius lare, ſed etiam Paulus, aut Coſſus, aut Druſus moribus eſſe, laudi ſit: qui aurum auro, lapides lapidibus, ad conſummandam æternitate domûs ſuæ fabricam, adijciant: nec quod illis alii ſtruxerant, illi aliis deſtruant. Miltiadis hæc Trophæa ſtatuuntur Themiſtocli; quæ, ſi, nihil moribus, omnia Maioribus debere non vult, æmuletur; aut etiam ſi fas eſt, (nullus autem virtuti terminus,) maiori virtutum niſu, plus vltra Herculeum aſſequatur. Atq; dum & mihi, de purpurata hac curuli Tua ILLVSTRISSIME DOMINE, eiuſq; Architecta Gentilitia Aſcia dicendumvenit; ne Tibi hanc dignitatẽ, videar; cùm potiùs Te illi debeam, gratulari; inde initium& auſpicium ſumendum eſt, vnde Tibi virtutum omnium fomes, gloriæ calcar, honorumq; capacitas deriuata. Etenim ſplendidiſſimum hoc Ferrum, non tantùm circa ſtruenda, magnis virtutibus firma, meritorum amplitudine vaſta, amore Patriæ, obſeruantiâ legum & Regum, ſummis honoribus decora palatia, à prima ſui origine hucuſq; occupatur: ſed etiam, adeò lòngo ſplendeſcit ab vſu; vt in cuius primùm Dædali manu viſum ſit, nulli penitus Liuio, Tacitoq; indagaſſe conceſſum fuerit. Eadem quippe primum illius vſum obliterauit caligo, quæ & illos, qui vixêre fortes ante Agamemnona: cùm ſimplicitatis adhuc eò temporis, non literarum ſtudioſa Lechia, caruerit Homero, qui geſtorum tunc eius Iliadem, faſtis connotâſſet. Hâc certe Aſciâ, non verſutus ille Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vlyſſi, equum, Troiæ in exitium conflauit; ſed primus Regni huius Dædalus Lechus, ILLVSTRISSIMAM TOPOREORVM DOMVM, ſingulare Alitis ſuæ receptaculum exſtruxit, præſtantiſſimis ſemper columinibus abundans. vt non immeritò, ab antiquitate, STARZA, natiuo idiomate nomen acceperit; quæ ſimul Lechicæ, ſimul ſuæ amplitudinis iecit fundamenta; priorq; aliis, (abſit inuidia dicto) Gentilitiis armis, conſtruendo Regno Lechico anteiuit. Aſcia namq; ad faſces nata, ſi Romanis, maieſtatis & iuſtitiæ ſignum, Tenedus, Lydiſue, imperii ornamentum habita; nec Lecho neceſſum

fue-

fuerat, eripuisse Mineruæ ægidem; vt nidulum suum tutasset: non sagittas Teucro aut Amazoni; vt propugnasset: non Perseo clypeos; vt protexisset: non clauas Herculi; vt magnificasset: non enses Macedoni; vt ampliasset: non falces Saturno; vt ditasset: non galeas Æneæ; vt seruâsset: non arcus Adrasto; vt circumscripsisset tantùm, imperii sui fines: sola sufficiebat Ascia, omnibus responsura. Ita porro Ferrum hoc, ductile metallum est; ita sufficiens: vt quæcunq; siue in defensionem Patriæ, siue in vindictam iniuriarum, siue in ampliationem imperij, arma volueris; hinc abundè possis efformare. His decus & tutamen ab armis est. Quanquam rem loquor non ænigmata. Ab ea namq; temporum, vsq; in hanc, reuolutione, quâ initia Lechiæ steterunt; non fuit Senatus absq; consilio Toporeorum: non castra, sine Duce: non commodum Reipublicæ, sine authore: non felicitas Patriæ, sine illorum triumphatore. Iuerunt semper, per cuncta honorum subsellia, & Reipublicæ munia, bello inuicti Camilli, Marcelli, Curii, Fabricii, Dentati: publicis Comitiorum rostris, Pericles, Appii, Demosthenes, Catones: Legationibus Cyneæ, Popilii: Tiaris Ecclesiasticis Augustini: Iudiciis, Tribunalibus, Aristides, Sulpitii: frugalitate Pisones: Sapientiâ Lælii: pietate Metelli: Toga & Sago, Cæsares, ex vtroq;. Et cùm alios fortuna, vt fauisse eis videretur, ex angulo detractos posuerit in sublimi, forsitan iterum, non absq; ludibrio in posteris lapsuros, ad prisco genere gloriantium, & numerantium in curribus Æmilianos, æmulationem: alios cum Xerxe, amplissimarum familiarum Gindes, in minutos deducens riuulos, maximos quondam alueos extenuauerit, & posteritatis inopiâ exsiccauerit: & rarus adhuc exstiterit; cuius virtutes nullo vitiorum confinio, cuius gloria, nullâ fallacis Deæ vicissitudine læderetur: hic seipsam fortuna exuit; ludere, alibi docta & illudere, ac alternas amans vices; maxima hic maximis succedere, non audet impedire. Fortunata hæc Architecta, ILLVSTRISSIMAM STARZANAM DOMVM, tanquam in Olympi vertice, omnibus fatorum imbribus intactam posuit & altiorem, Marpesiâ caute, an contemnente fulmina lauro structam, omnibus illæsam furoribus iniquæ sortis: quasi in illam, nihil virium, potentiæ, iurisq; habeat: vt cùm aliis stemmatibus sufficiat viros clarissimos mirari; Toporei extra metum defecturæ vnquam claritatis maneant, gentes integras, easq; Illustrissimas numerantes. Ab illo tempore, quo Proto

Dædali noſtri Lechi proles defecerat, quæ inchoatæ tum nouiter Reipublicæ gubernium ſuſtinuiſſet; ideoq; in duodecem humeros Palatinorum, ſumma rerum fuerat deuoluta; iam tum Architecta hæc faſtigium o ccupabat, nedum inter duodecim numerata Palatinos; verùm etiam ſummum gloriæ regimen aſſecuta, primas tanquam Dictatore tenente Toporeo. Inde magno gradu, multiſq; ſeculis per magnos Comites in Panigrodz, Lukna, Danaborz, Preginia; ad Setegios ſeu Sieciechos, maximis virtutum & honorum cum incrementis, ingens hoc gloriæ Amphitheatrum deductũ eſt. Quorum vnus, Supremus Exercituum Imperator, & Cracou. Palatinus, Sieciechouienſis Clauſtri, cum BOLESLAO Chabri confundator, magnaq; patrimonii parte auctor, Nepotem etiam Sieciechum Cracouienſem quoq; Palatinum, generalem Exercituum Regni Præfectum, non modicum Gentis Starzanæ decus, Orbi Polono miniſtrauerat. Grande hic Generis ſui columen; qui ſolus virtute propriâ, ingentem iſtam Bipennium Domûs molem, ſuſtentâſſe poſſet æternitati: cuius tota etiam Regni Poloni Machina, cum Ioue ſuo VLADISLAO Hermanno, incubuit humeris, & Athlanticos inuenit. Nullus illi honore, titulis, authoritate, & virtutis exiſtimatione par; vt, qui etiam Sarmatici illius Achillis BOLESLAI Criuouſti, nouennis Annibalis contra Bohemos, Pomeranos, & Caſſubitas, in re bellica Chiron exſtiterat. Taceo Zegotas, Nauogios, Ottones, Caſtellanos, Palatinos, Cracouienſes & Sandomirienſes. Non reuoco, Sago & Togâ incomparabiles Scipiones Lechicos TĘCZYNIOS; quorum anguſta Polonia, famam ſummis dignitatibus euectam, capere haud poterat: adeò, vt à Romanis quoq; Imperatoribus, quibus honori & amori fuerant; S. R. I. Comitum titulis, & Curiæ Cæſareæ muniis ampliari debuerint. Non memoro Polonos Pericles Oſſolinios; quibus virtutis corona, Ducatus in Oſſolin, ab VRBANO VIII. Pontifice Maximo, & Principatus. S. R. I. à FERDINANDO II. Imperatore oblata eſt. Non memoro religioſiſſimos ZBYLVTAS; ſummos ingenio & fide erga Principem, VŁOSTOVIOS Comites Xiąznenſes: ſingulari pietate ac fortitudine præſtantiſſimos KORYCINSCIOS Comites Pilecios; arte & marte clariſſimos ZAKLIKAS. Immo neq; Tuæ Illuſtriſſimæ TARŁOVIANæ Proſapiæ per Ottonem de Czekarzowicę Palatinum Sandomirienſem à Nauogiis & Tęczyniis glorioſiſſimè continuatæ, ſacrarium ſcrutabor curioſiùs, aut ſplendores Aſciæ huius inſpiciam liberiùs; ne excellens

ſen-

ſenſibile pupillam euerberans, faciat cæcutire; cùm palpari eam molem fabricæ immenſam, etiam proprio exemplo edidici. Etenim ſicubi; hîc certè vel maximè, præſtantiſſimam gloriæ & honoris Architectam ſe oſtendit Ascia veſtra. Quaſſata iam ampliſſima Tęczyniorum domus, & in Ioanne Palatino Cracouienſi, vltimo columine euerſo, fatis ſuccubuit. Iam & Oſſoliniorum Ducalis Mitra, pretioſiſſimas tot ſibi excidiſſe gemmas ingemiſcit. Iam & aliis Asciæ falx præualuit. Tarłoviana, cum creſcente ætate, continua omnium ornamentorum capit incrementa: & quò in vlteriorem temporum ſeſe extendit ſeriem; in maiorem promouet & conſeruat immortalitatis amplitudinem. Paucos admodùm, eoſque memoriæ propiores proferre lubet: in quibus ſplendor ferri huius, nunquam rubiginem contrahentis, vtpotè aſſiduo virtutum, honorumque parandorum exercitio immorantis, viſendum ſeſe exhibet. Neorivm, Ioannem, & alterum Ioannem, Sandomirienſes Palatinos, magna Gentis TARŁOVIANÆ fulcra, magna Regni huius decora, ſumma in maximis negotiis robora, in ſummis periculis præſidia, grata illorum in ſe meritorum Patria, nullâ vnquam ætate conticeſcet. Obſignauit aurei æui Signaculum Nicolavs, ſuis non minor Majoribus, quos meritis & titulis non æquauit modò, verùm etiam ſuperauit, poſt ampliſsimos honores, Supremus Regni Cancellarius. Inſculpſit Cedris, non intermorituræ famæ nomen ſuum Ioannes Inciſor Regni. Nec inſtar floris, tam diu gratum, quàm diu recens, in hæc vſq; tempora, veneratur Podolia beneficium Hieronymi Tarło, acerrimi ſui defenſoris: cuius tantus illarum partium ſalutis amor, & bellandi pro ea ardor, heroicum pectus inſederat; vt oblatum ſibi à Rege Sigismvndo Sandomirienſem Palatinatum honorificè reſignauerit; pluris æſtimans, deciduos frontis in laboribus pro integritate Patriæ ſudores; quàm eam, quamuis meritorum coronam: pluris cum laude laborem; quàm adeò ſublimem honoris gradum cum quiete. Recitat adhuc ingentia in Eccleſiam Dei, Leopolienſis Archicathedra, merita Pavli Tarło cuius ſanctitatem, cultûs Diuini zelum, in ornamentum Domus Dei, & pauperes munificentiam, humanitatem, plurimaſque alias verè Præſuleas dotes, non in rigentibus tantùm marmoribus, ſed viuentium etiam pectoribus, deſcripſit adamante. Caroli Viſlicienſis, Sigismvndi Sandecenſis, dein Belzenſis, Ioannis

Radomienſis Caſtellanorum; IOANNIS & ADAMI Sandomirienſium, IOANNIS Leopolienſis, NICOLAI Premyslienſis vexilli-ferorum, ingenio & fortitudine clariſſimorum merita, ſonans late per Orbem Sarmaticum fama circumfert. Sed ne immorer, Illuſtriſſimæ Proſapiæ Tuæ recenſendis Numinibus, quorum, ſolùs æternitatis volumina, numerum & nomina comprehendunt: Parentis Tui Illuſtriſſimi PETRI TARŁO, Palatini Lublinenſis, auguſtos Cineres, liceat nonnihil contemplari. Quantus in illo Religionis zelus, quantus boni publici amor, legum obſeruantia, Principi fides ſeruata, æquitatis cuſtodia, in agendo prudentia, in conſulendo Sapientia enituit: recentem omnium teſtem appello memoriam; in quorum ore, corona Senatûs, Pyramis Reipublicæ, exemplar purpurati Viri, etiamnum verſatur: vel ideò deſiderandus; quòd proſpexerit, ne deſideraretur: tot Coloſſis, tot ſtatuis auro fuſis ornandus; quot filiis Patriam dotauit. Tranſtulit iam è mortali Senatûs Poloni Curuli, ad beatitudinis Regna & Thronos, humanarum ſuprema moderatrix rerum dextera, illuſtre Germani ſanguinis Tui par: alterius florem in herba cum ſpei omine ſuccidens, Patriam Domumq; Illuſtriſſimam decore non modico deſtituit: Alterum non ita pridem, IOANNEM primò Lublinenſem, deinde Sandomirienſem Palatinum: Togæ decus, Purpuræ Senatoriæ ideam, Sapientiæ conſiliorumq; Gazophilacium, Regni Gentiſq; ſuæ columen, ingentibus meritis, multâq; ætate fractum ſuſtulit. Suecica, Tranſyluanaq; tempeſtas, ſeruilis Sparthaci Vkrainenſis fluctus, fœdifragæ, ſuiſq; niuibus inſtabilioris fidei Moſcuæ turbo, quantùm illi Reſpublica debeat; probauit. Languet adhuc recenti, & Tuum fraternum, & omnium noſtrum pectus, vulnere quod dura Libitinæ falx inflixit, & altis gemitibus præcordia patefecit: erepto illo ſanctitatis, & purioris vitæ exemplari, candoris lilio, prudentiæ domicilio, humanitatis ac liberalitatis, pluribus quam Nylus oſtiis, in omnes profuſo alueo, mentis & indolis magnanimitate examuſſim ALEXANDRO Caſtellano Zauichoſtenſi. Lugent, lugebuntq;, nec ſtatim areſcentes profundunt profundentq; lachrymas, orbatæ tanto Parente Niobes; tanto Senatore Patria, tanto Ciue Palatinatus Sandomirienſis, tanto vicino affines, tanto pauperes Mæcenate. Perennaturum quidpiam hâc veſtrâ Architectâ Aſciâ, ſummus vniuerſi Architectus Reipublicæ huic ſtruendum deſtinauerat: dum vos

qua-

quadratum fratrum numerum, quadrati, quia in omni bono & honesto firmati animi delegerat. cuius cùm vnum obduxit mortalitate angulum; non hic superstes Ternio, absq; singulari fortunatissimorum, & Patriæ & vobis euentuum præsagio mansit. cùm omnis perfectio notetur ternione, & numero Deus impare gaudeat. Huic lectissimo numero, Tu præis ILLVSTRISSIME DOMINE. Te sequitur ILLVSTRISSIMVS STANISLAVS, non degener auitæ virtutis hæres: gnarus optimè, Illustrissimam suam Asciam, virtute nonnisi, & magnis pro Patria ausibus politam, in splendoris luce conseruari: eam hostili sanguine, à rubigine vindicat S. R. M. Rothmagister. Eius pietatem amant superi: sapientiam veneratur Palatinatus Sandomiriensis, prudentiam ac Iustitiam Tribunalitius probat Areopagus: fortitudinem vidit ad Strigonienses Cannas Vngaria, mirabatur Poloni exercitûs flos; sensit ac ingemuit (adeò fatalis hostibus Asciæ huius ictus) barbarus Thrax; immò ipse Orbis Poloni Hercules, Heroum gemma Serenissimus IOANNES III. testis, singulari complexus est fauore: præmioq; laborum, calcari virtutis, Castellanatu Zauichostensi insigniuit. Complet numerum, & consignat Auitæ Virtutis monumenta, viua majorum Religionis, pietatis, humanitatis, ac omnium, quarum & hæres & author est perfectionum ac splendorum idea Illustrissimus SIGISMVNDVS Capitaneus Pilznensis. Possem hic Illustrissimos Lanckoronsciorum flammiuomos Leones, quorum flamma claritatis, Leoninum Caput generositatis & magnitudinis, materno genere in Te ILLVSTRISSIME DOMINE traxit deriuationem. Possem Illustrissimorum, in Ostrog, Wiśniowiec, Zbaraż, Klewan DVCVM, ZAMOYSCIORVM, LVBOMIRSCIORVM, TARNOVIORVM, SIENIAVIORVM, CHODKIEVICIORVM, DANIŁOVICIORVM, BRANICCIORVM, SAPIEHARVM, ZBOROVIORVM, FIRLEIORVM, aliarumq; primarum in Regno Familiarum ornamenta, quæ per affinitatem & sanguinem, vestris adjuncta sunt Splendoribus; addere: sed cum probè, palàmq; omnibus compertum sit, nullam propè ex insignioribus Regni huius Prosapiis esse, quæ non aut ex hac propaginem habeant; intra modesti silentii cancellos me concludo. Dixisse sufficit, Illustrissimam STARZARVM DOMVM, plura Ecclesiæ, Patriæ, fulcra Colossis Rhodiis, aut Memphiticis Pyramidibus solidiora, & augustiora dedisse, majoriq; etiamnum ornamento esse; quàm Romæ veteri Fabiorum. Sex &

Trecentos illos numerauerat vetus Roma, dum contra Veientes, priuato proprio sumptu & armis, belli molem suscipientes dimisit. Patricius iste exercitus, fortiter quidem; at animosiùs quàm feliciùs rem gessit: audaces fortuna non iuuit: vna dies tot seculorum decus abstulit: tot funeribus tristissimam Patriam fecêre, cæsi omnes, memorandâ clade. Illustrissima Toporeorum gens, non duo fulmina belli Scipiadas; non trecentos & sex Fabios: sed vexilla septem Serenissimo LVDOVICO, Poloniæ & Vngariæ Regij contra Ruthenos bellanti, vnius Stemmatis bellatorum subministrauit: & longè feliciori euentu: nam victores reduces salutauit. Ita semper in maximis periculis, vnicum tutamen ASCIA: in maximo flore, vnicum decus ASCIA; in grauissimis negotiis, maximum robur ASCIA.

Tua sunt hæc Illustrissime Domine, Tua sunt: quæ longa à majoribus consuetudine, in Te sunt deriuata. At Tu quasi non Tua arbitratus, illos non in Tuam vixisse gloriam, nec quod ante Te fuit, Tuum esse vendicans, virtute propriâ quæsiuisti, quod Tuum esset, & esse crederetur. Suffecerat aliis nobiles esse fumosis plenum imaginibus atrium habentes: interea verò, nil nisi Cecropides: truncoq; simillimi Hermæ, nullo ab eis discrimine separati; quàm quod, marmoreum illi caput esset, sua verò viueret imago: tantum à Maiorum suorum gloria defecerunt; quantùm illi vltra alios virtute, ac fortunæ fauoribus, euecti fuerant. Tibi verò ILLVSTRISSIME DOMINE, non ita apprehensa Architecta Tua, vt structa maiorum dexterâ & dexteritate, gloriæ monumenta, disijceres, & destrueres; verùm vt perficeres, vt consummares. Non solo antiquitatis pretio, & numerosis ingentium animarum simulacris, laureatisq; postibus, amplum gloriæ Tuæ palatium, sed gestorum etiam propriorum nobilitate, constare voluisti: nec aliorum incumbere famæ; ne collapsa ruant subductis tecta columnis: cum author illius esse posses, nisi sis hæres. Atq; vt à primis perennaturi operis, ordiar fundamentis: dum Te animorum Heroina, Illustrissima HEDVIGIS à Brzezie orbi protulit: mox annos pueritiæ excedentem, Lucina Polonorum ingeniorum, nutricali sinu excepit: iam tunc tanquam ex cortina, aut Timantis velo apparebat, quantus orbi Lechico Atlas futurus eras. vbi nihil puerile præter ætatem præteferens, ingentem de Te exspectationem faciebas. Eò quippe semper ad-

uer-

uertiſti animum ad ſumma natum, eò laborem omnem conatumq́; contuliſti; vt meditata omnia, & ſeriò magna agens, ſummis in Republica muniis, vires animi aptaſſes. Mirabantur tum omnes Diuinum illud in Te Platonis os, in quod apes non montem Hymettum, Thymi flore redolentem, ſed Muſarum Heliconios colles, omni genere ſapientiæ virentes, Dearum inſtinctu depaſtæ, mella congeſſiſſent; cum pro roſtris, tum ſacris, tum domeſticis, & illi virtutum ac Scientiarum Magiſtræ vſitatis, tenellus adhuc Tullius perorares. Stupebant rarum illud & vix comparabile, omniumq́; ferax & fertile Scientiarum ingenium: ſed quid vnquam ſterile eſt, vbi virtutis cultura acceſſerit? In hoc ergo curas in hoc cogitationes conuertiſti; vt in omnium virtutum fundamento, non tantum doctrinæ; ſed & iuuentutis, & totius vitæ, ac immortalitatis ædem ſuperſtrueres. Videre iam tunc fuerat, compoſitiſſimam à natura & animo, ad omnem honeſtatem, indolem: religionis pietatisq́; feruorem, morum grauitatem, raram ac inuſitatam iuuenibus maturitatem; vt in ipſa quaſi ætatis aurora, quendam exhibuiſſe meridiem videreris. Poſtquam verò benè cultum, magnaq́; ſapere doctum, inde accepiſti animum, maximis illum Europæ populis viſendum præbuiſti. Non Te tamen mens pulcherrimorum auida eò extulit; vt ibi depoſitorium ſapientiæ, vt exemplorum, vt virtutum theſauros, quæſiuiſſes: cùm ea domi Tuæ abundè habueris: neq́; vt à conſpectu ſoli Patrii elongatus, pronæ in deterius licentiæ campum inueniſſes; ſed vt cognitis locorum hominumq́; moribus & ingeniis, ea reportaſſes domum; per quæ Tibi & Tuis, Patriæque virtutis ac felicitatis acceſſio fieret. Non proinde mollis Campania Sardanapalum Te aut Annibalem, non Capua Cannas virtutis Tibi fecit: non tepentes Baiæ, feruorem boni reſtinxerunt; aut otij dulcedinem inſinuarunt. vbiq́; firmato, & aduerſus omnes corruptelas, munito conſtantiâ pectore; illibatum orbi circumtuliſti animum: viuens Deo, qui eſt dator vitæ: viuens conſcientiæ, quæ eſt vita vitæ: viuens famæ, quæ eſt vita, poſt vitam hanc mortalem. Spectaſti cultiſſimarum Nationum mores; & ſpectandam ſimul præbuiſti alti ſanguinis propaginem; Polonæ generoſitatis Ideam; non Principibus modò illis; verùm & ipſi, cæli in terris vicariæ Vaticanæ Sedi, amorem, delicium, venerationem, prædicationem. Sed iam Regnorum linguarumq́;

notitiâ plenus, vt à peregrino Sole, in patrium ſolum eluctareris; deſiderio Tui æſtuans Patria Te repoſcebat. vtq; primum reducem, iam tum magnum illum & Senatum ſpirantem genium conſalutauit; in eminentiſſima ſpecula ad Iouis Lechici, Sereniſſimi CASIMIRI latus, Polona Aquila, cultiſſimum Tuum deportauit animum: admouitq; Secretioribus Principis; vt Regiâ viâ, in adminiſtranda dein Republica, greſſus figere aſſueuiſſes. Iuiſti ſimul in Regiæ, ſimul in Regis penetralia, velut ſimulacrum Phidiæ, ſemel viſus, ſtatim probatus: admiſſusq; in cor Principis, non vt Damocles, Narciſſus, aut Ariſtippus; non occultis Veios cuniculis occupans; aut celato SINONIS arte equo, Pergama illa inuectus: ſed quod Asciæ Tuæ innatū eſt, aperto ſinceriſſimæ in Principem & Rempublicam fidei, eoq; ſuauiſſimo ictu, ac dulci vulnere, Capitolium illud, tot triumphatorum Regum delubris auguſtum expugnans: vt qui rigentes etiam Alpes, miro animi temperamento, nouus animorum Annibal, perſuaſiſſes. Multis alias, ſinceritatis hoc propatulum, cuſpidi Macedonis, cum Clyto patuit: Tibi ad maxima quæuis, aditum patefecit? [quanquam quid dico patefecit.] cui nihil imperium, nata ad purpuram indoles fecerat, Ergo ſtatim, publicis negotiis animum adijciens; non Tibi Soli, ſed Patriæ, ſed Ciuibus, viuere volens, in apricum deſcendiſti: nihil magis odiſſe ſolitus, quàm Trophonii antra, & Cimmerias tenebras; quas qui ſolicitant; tantum in vmbris ſuis ad veram gloriam proficiunt; quantum excæcatus Tireſias ad ſplendorem ſolis: tantum ad æſtimationem ſuam addunt; quantus argento valor eſt auaris abdito terris. Quidquid enim feruidior ætas habuit; quidquid bonæ mentis generoſior genius ſuaſit: id obſequiis Reipublicæ, fauori Ciuium, boniq; parandi Nominis impendio litaſti. Miroq; prorſus artificio, miro felicitatis euentu, quamuis amor extorqueri non poſſit, odium poſſit; ita in omnium pectora efficax fuiſti, vt illorum amorem, Tibi omnino debitum lenibus tormentis expreſſeris, aureis virtutum compedibus, felicior Hercule Gallicano, adſtrinxeris. Nec mora, præclaras illas excelſi animi dotes, nouus, Principis fauoris effectus confirmat & excitat. vt in eminentiori ſpecula, poſitas, clariùs Patria contemplaretur, amplecteretur. Iamq; Capitaneus STĘZICENSIS, non metam benè merendi de Republica, & affectu Ciuium adeptus;

ſed

ſed calcar: quantò major haberi cæpiſti, tanto maior eſſe. Faſtigium aliis quantulacunq; dignitas eſt, & culmen, vt obtento præmio quieſcant; aut ſaltem remiſſiùs agant: Tu Tibi retrocedere videbare, niſi continuis meritorum paſſibus, ad maiora ſemper proceſſiſſes. Placet tamen, & vlteriorum in Republica honorum incrementa auſpicari, inde; vnde primordia ſumpſeras, ſcilicet ab amore Ciuium: quem vt tantò efficaciùs comparaſſes, tantò firmiùs retinuiſſes, ſanguinis intercedentibus vinculis adſtringere neceſſum erat. Nihil verò in Tuo Sandomirienſi Palatinatu ſupererat; quod non Tua Ascia, Tui amore ſaucium reddidiſſet: omnium quippè, præcordia peruaſeras. quærendus proinde fuerat, non jam cum Macedone Orbis alius, quo ſedem Tuam transferres; ſed Palatinatus: quo Tuam æſtimationem extenderes; pluribuſq; Tui amorem inſereres. Et hic non alius obtigit, quàm Lublinenſis: iam tunc arcano quodam conſilio ordinantibus, ac deſtinantibus fatis; vt ibi votorum Tuorum ieciſſes anchoram; vbi meritorum coronam accepturus eras: in eo campo Architectam Asciam Tuam defixiſſes; in quo Regales etiam Throni aliquando erant erigendi: in eum campum ad certamen amoris deſcendiſſes; in quo præmii certus fores: cùm in eo non ferratis aculeis præpediens aliis iter fraudulentus Leſco; ſed calcatis hoſtium ferramentis, ſtratiſq; cadauerum aggeribus, tandem ad auguſta prenſanda ſceptra & diademata, eluctaretur IOANNES. IANINA inquam Illuſtriſſimæ Pszonkarvm Domûs, amplitudinem gloriæ Tuæ vaſto excepit ſinu, vt ita ampliorem merendi campũ habens, latiùs famam factis extendiſſes. Eum Tibi ſummâ facili tunc pandit, Illuſtris olim ac Magnificus Adamvs Pszonka è vexilliferro Chełmenſi, Succamerarius Lublinenſis, Vir nobilitatis gemma, Sapientiæ & probitatis amuſſis, prudentiæ abſolutiſſima Ilias, fortitudinis, Martiorumq; in diuerſis, contra Moſchos, Suecos, expeditionibus, operum Idea, liberalitatis & Auitæ humanitatis exemplar; dum Tibi in Sacros Matrimonii nexus conceſſit vnicum magni ſanguinis vnionem. Et certè nihil Tibi aut ad gloriam nobiliùs certiusuè; aut ad occupandos animos efficaciùs contingere potuit; quàm quod maximis Tuis ex Te ipſo dotibus, hoc quoq; pignus acceſſit, Viri illius, arctiſſimâ ſanguinis coniunctione venerabile: qui in Gentilitio Scuto ſuo, cunctorũ animos feliciùs, quàm Diuinũ Phidiæ in Clypeo Mineruæ Athenis opus, triginta Deorũ geneſim, in

compen-

cõpendio referebat. Quid enim aut ille chariùs dare, aut Tu gratiùs recipere potuisti, cùm hâc affinitate, non Paterni tantùm cordis portionem; sed totius Palatinatûs Lublinensis pectora, inter pretiosa dotis monilia receperis? Firmum satis, ac æternitatis operi sustinendo par, quod non malignus liuor, non Diis proximæ virtutis comes inuidia, magnis obliqua semper meritis, mouere sedibus possit, fundamentum gestorum Tuorum habes: vt iam altiùs assurgat Architectæ negotium, manum admoue. Rarum tunc & ante id tempus vix auditum, abdicationis Regni, Comitiorum negotium imminebat: cùm diuturnæ imperii curæ, natum quamuis ad Sceptra fatigassent: cùm pomum illud aureum, ad quod capiendum sæpius inter plures, quàm Iunonem, Palladem, Cypriamue, mille conatibus contenditur; diuturno vsu fastidium vtenti peperisset: & spontaneæ post solii fulgura vmbræ, positâ Maiestate reciperent Serenissimum IOANNEM CASIMIRVM: huic tanto negotio, probatam, Sandomiriensis Palatinatus, Asciæ Tuæ, non ferream, sed auream, ad lydium lapidem, in priuatis multoties Comitiis, virtutem admouit. Incunabula quidem hæc Tibi, & rudimenta fuerant, in facie orbis agenti: sed ita maturo iudicio expedita, ita felici ac facili euentu confecta; vt in illo tyrocinio, veteranos etiam, dexteritate agendi, non æquares modò; sed & superares. Non promittebas Te futurum magnum, nec efformabas, sed tanquam in talibus; quia ad talia, natus, illicò præstabas. Vidit tunc Regia Maiestas, illam indolem, quam lateri suo admotam habuerat; & indoluit, non sibi Principi talem Ciuem contigisse. Vidit Patria; & tacito cordis suspirio, benigni Numinis prouidentiam venerabatur; eum aliquando visura Senatorem. Viderunt Proceres; & suæ gratulabantur felicitati, talem se fratrem & Collegam habituros. Inde tantò maior Tui veneratio & æstimatio: totâ mole Tuis incubuit humeris Palatinatus; iam passim ardua quæq;, nisi Te arbitro, Te authore, confecta voluit. Sæpiùs generalibus Comitiorum consessibus adhibuit: sæpiùs publicis functionibus præfecit; vbiq; Tuæ prudentiæ, Tuæ fidei confisus: quàm tantò religiosiùs in Te coluit & æstimauit; quantò manifestiùs, non priuato bono; sed communi commodo seruientem, & quæ omnium, non quæ singulorum essent, respicientem, explorauit. Tantum enim abest, vt infami ambitione

ali-

aliquid expeteres: quamuis & hoc non ſemper ambitionis ſit, non vltra ſortem ſuam auidiùs quidpiam conſectari; immò, ſicut, quantum velis, poſſe, felicitatis; ita magnitudinis, quantum poſſis, velle, vt etiam cogi aliquando debueris: non, quaſi oneri ferendo impar; aut laborem inertiâ refugiens; ſed quia moderationis amantiſſimus. Sæpius hæc illi cum modeſtia Tua lucta, felix ſpecioſumq́; certamen, in quo ſæpe victor ſæpe victus fuiſti: maximè tamen tunc, cùm ad periculoſæ plenum opus aleæ vocabaris; & eò pertinaciùs inflecti animo renuebas; quò ſtudioſiùs, plures per quæuis præcipitia, in idem ruentes, non ſine horrore mirabaris. Ita Tibi formidabile; aliis optabile Iudicis munus: vt, quod illi hiantibus cum Tantalo faucibus perſequerentur; Tu ab eo animum, vt aſpis ab incantantibus auerteres. Sed ceſſiſti tandem affectibus & votis omnium: Iudexq́; Deputatus ad Iudicia Regni Tribunalitia, renuntiari permittis. Talem porro eſſe opportuit; quem non cupiditas,aut reſpectus; ſed iuſtitia, ſed zelus iniuriatorũ, Collegio Iudicũ adlegiſſet. Quanta iam tunc hominum gaudia,qui plauſus; cùm Te Areopago illi inſertum aduerterẽt: quæ facies; cùm ſalutarẽt? quæ vota cum agnoſcerẽt,cũ ſententiã audirẽt.Non enim Tibi aures in pedibus: non auro venalia iura: non lancẽ iuſtitiæ,reſpectus detorſit ab æquilibrio. Erecta & in diuerſa flecti neſcia, nunquã à recto deflexit ASCIA Tua,quaſi ferri exuta indolem,nunquam à magnete aureo pertrahi ſolita. Exitialis ſceleribus Securis huius ictus; vt nec aduri face Herculis indigeret, à monſtroſo corpore auulſum caput, ne pullularet: procul tamen à Manliana ſecuri, vt nimio legum zelo, armata, in victores etiam filios ſæuiret: ideò ad lites dirimendas acutiſſima, & gladio Macedonis in Nodo Gordio felicior; ad vlciſcenda ſcelera ſatis hebes: & quod caput eſt; in tam forti locata dextera; vt elabi inpræceps nunquam; rarò admoueri, niſi premente iuſtitiâ, contingeret. Thebanum prorſus in Te omnes venerabantur Iudicem: ad cuius laudes ne Carneades quidem ſufficeret: nec quod probauit hodie, cras improbare vel poſſet, vel auderet. Placuit hoc cælo, placuit Orbi Lechico, animi Tui in obſequio Diuæ Themidis moderamen: iamq́; agminatim ad Te confluebant dignitates, quà Regni, quà Terreſtres, Tuoq́; animo tanquam ab indole & virtutibus pulcherrimo, vt darentur, concertabant; vt potè non ornaturæ, ſed ornandæ. Itum proinde in Te votis omnibus; vt dum orbata optimo Pa-

rente Sereniſſimo MICHAELE Patria eſſet; ad Iudicia Interregni Palatinatûs Sandomirienſis, Iudex quoque deligereris. Nec ſuffecerat, conſpiratis in Te animis Iudicem elegiſſe; niſi etiam eidem Iuri dicendo præeſſes. Diu quidem modeſtia Tua, cum illorum affectibus luctabatur: & viciſſet fortè; niſi, quod ſæpiùs recuſare, ambiguam, ac potiùs illam interpretationem habens, tanquam minorē putes, iterum Te vinci permiſiſſet. Cogi verò non poteras, niſi periculo Patriæ, in Te ſolo ſpes ſuas collocantis: niſi amore Ciuiū, impellente. Suſcepiſti tandem oneroſum Mareſchalci & Directoris munus: & quanta cum laude peregeris, loquetur poſteritas, titulis omnibus ſpecioſius; non trabibus aut ſaxis; ſed monimentis æternæ laudis inciſum. Ibit in ſecula fuiſſe Iudicum Principem, Areopagi Præſidem, à quo non vt olim Delphici Apollinis Pythia, dum mouere Themidis Tripodem oportebat, implexis ambagibus populorum vota eluſa; ſed apertis illuſtrata reſponſis, omniq; caligine ſoluta, in veritatis luce collocata. Inde oppreſſio miſerorum leuamen: inde Viduarum lamenta ſolatium capiebant. Te innocentia Patronum, juſtitia defenſorem popoſcit, & experta eſt ſinceriſſimum: ac ne quid effuſæ bonitati deeſſet, humaniſſimi vultûs inclinatione, omnibus æquè ac ſingulis exhibitâ, è voto cunctis ceſſuras res ſuas, vocali quodam ſilentio pollicebaris. Domum ſuam alius plurimo terrore muniiſſet; ne quis tenebras ſecretumq; captantem, & à conuictu hominum elongatum, non tamen forſitan Deo approximatum; (cùm & ipſi Numæ non ſemper cum Aegeria ſermo fuerit) importuniùs adiret: obturaſſet cum Vlyſſe aures ad oppreſſorum gemitus citiùs, quàm ad Syrenum cantus: ignarus, quibus ſibi parietibus, muris & ſatellitibus, authoritatem, ſecuritatem, quietemuè, & quiduis aliud tueri videtur; quibus dolum & iniuſtitiam, iiſdem vltorem ſcelerum Deum incluſiſſe. Procul hæc à Te Illuſtriſſime Areopagi illius Lycurge: Muniuiſti Tu domum Tuam non circumſtantibus telis, non ſeueritatis excubiis, ſed amoris ſatellitio. Fruſtra ſe terrore cinxerit, qui ſeptus non fuerit charitate. Hæc Tibi ara inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, innocentia Tua, Sanctitas, iuſtitia, clementia. An paruum & illud moderationis Tuæ argumentum eſt, cùm amorem Tui in ſe penſando Palatinatus Sandomirienſis Vniuerſi, Cætus ad Comitia congregatus, ſuccamerarii munus, votis conformibus, conferret;

ferret; Tu quæ Tua singularis humanitas est, non quasi illud dedignatus, altiora saperes, quibus Te semper dignum gessisti; sed quasi minus meritus, suffragia omnia Tibi data, etiam proprio adiecto, in Illustrem & Magnificum MARTINVM DĘBICKI deriuasti: vt sic maioribus in dies meritis, animos Tibi omnium obligares. Cæterùm in tanta modestia, tanto bonæ nominis famæ studio semper æstuabas, vt illam nunquam vllo in negotio tàm publico, quàm priuato, infringi, nedum labefactari patereris. Legat posteritas simile, memorent anteacta secula in quopiam exemplum, quod omni æuo stupendum reliquisti. Detulerat Tibi certo tempore Comitiorum regimen, liberorumq; sensuum arbitrium, Tibi Arbitro subiecerat, optimorum quorumuis immo omnium sententia. Egisti omnia, vt tanro Ciue, tanto Præside dignum erat: sed non ex omnium voto. Quid ergo agit infame illud monstrum non in Lernæa palude, non in Marathonia aut Nemæa sylua, non in desertis Lybiæ nec Hyrcanis nemoribus natum; sed in humanis pectoribus enutritum, dira Celæno, Harpyarum rapacissima, non Phinei dapes, sed Promethei vultur innocentum famam lancinans inuidia, cælo propinquam gloriæ Tuæ ædem, Enceladum & Briareum induta diruere, aut saltem collidere conatur. At certe, si quando, tunc maxime se suis exarmauit iaculis: immò iisdem oppressa, inertiam suam Orbi demonstrauit vniuerso. dum velut densata nubium phalanx, limpidissimum mundi oculum obscurare quodammodo intendens, tonando, fulminando, fulgurando, quasi sit uis ardentior intus, mox disparere, & inualescente Solis ardore in nihilum vnde orta est, abire cogitur: ita illa vbi vel maximè nocuisse visa, se ipsam consumpsit: ac triumphare in aliis ad æternam labem damnatis assueta, Te solum cui nocere voluerat, clariorem ac illustriorem reliquit. Ita triumphata malignitate, Tu etiam clarior etiam gloriosior, euasisti. Conclusisset alium, priuatum cubiculum, nec ampliùs, simili periculo præcauens, instabili hominum fidei, fluctuanti procellæ, certo naufragio, vnicam hanc vitæ gemmam credidisset: immò nec ossa ingratæ Patriæ præbuisset. Tu lenissimo animi temperamento, quamuis intimè inflictum delicatissimo cordi vulnus, ita obduxisti: vt ne cicatricem quidem reliqueris, totus in amorem, totus in obsequia Palatinatûs effusus; quasi nunquam læsus, in amore omnium perseuerasti, perrexisti;

ingratitudinem illorum vincens gratiis, vincens beneficiis. Non poterat certè meliùs Architecta Tua ſolidiorem æternitati Nominis Tui ædem ſtruxiſſe; niſi etiam obſtantia quæq; ſuſtuliſſet: & ita victurum opus firmâſſet. Sublimi quippe ſita in loco virtutis corona eſt, nec alia ad eam via, quam per aduerſa, Alcides ab aſtris excluderetur, niſi tum in Nemæo, tum alibi eius dexteritas illuxiſſet. Non Atlas cælis gratus ac honorificus foret; niſi eorum baiulus extitiſſet. Scilicet ſecunda felices, aduerſa magnos probant. Hoc igitur tanquam Hercinio ſaltu ſuperato, Herculeis paſſibus ad ſumma quæq; iuiſti, tantò vbiq; venerabilior; tantò glorioſior, quantò melior de inuidia triumphator. Sunt enim in honore hominum, & in honore famæ magna Nomina. Circumtuliſti vbiq; animum illum & agendorum robore Atlanticum, & conſtantia Herculeum. vbiq; ſummis honoribus, ſummâ Tui æſtimatione magnum: dum illum amicorum obſequiis, vniendis animis, vindicandis iniuriis, diiudicandis æquitatis partibus impertires: dum domeſticis Palatinatûs Comitiis intereſſes; dum linguâ omnium toties in Regni generalibus Comitiis perorares; dum dignitatem Palatinatûs, fortunas, libertatem, in Commiſſiones varias ferres, Deſperabatur felix Comitiorum domeſticorum exitus, vbi Tua non ſperabatur præſentia. fluctuantes animi Ciuium & voluntates, in tanta præſertim Gentis noſtræ libertate, ſæpius vitiorum Aquilonibus commotæ, laceram Patriæ ratem, in Syrtes Scyllaſq; præcipitabant; certumq; boni publici naufragium timebatur; vbi Tu felicior Neptunus, lenioris moderaminis tridente malaciam non reduxiſti. factioſi publicæ ſecuritatis pyratæ, opimæ inhiabāt prædæ, vbi Tua Bipēnis vindex non ſentiebatur. Iuuat in memoriam reuocare Cōmiſſionem illam, ad decernenda promerita armorum præmia, Leopoli inſtitutam; cùm Tu certè non minùs, quàm alias natum ad purpuram animum, agendi dexteritatem, prudentiam, & ſapientiam demonſtraſti. Iam propè concluſa erant omnia, iam ſumma operi manus imponenda, cùm Tu ſerò quidem, at nimium bene, illi Te coronæ Procerū intuliſti, Palatinatûs Tui Cōmiſſarius. Tanta Perſonæ Tuæ veneratio, tanta oris venuſtiſſimi vis, tantum ſapientiſſimorum dictorum robur erat; vt rerum illarum curſum, jam jam valido paſſu ad finem collimantium, non ſtiteris tantùm, atque ab vlteriori motu prohibueris; verùm etiam reuocaueris, immutaueris, in

Tuam

Tuam ſententiam traxeris; vt magna tributi parte liber Tuų fieret Palatinatus. Steterunt attoniti Viri bellatores, & quorum, hoſtiles acies impetum non tardauerant, Tuo Periclis eloquio etiam retrogrados ſe ire ſtupebant: dederunt vinctas ASCIÆ Tuæ manus, quibus, fortiſſimorum hoſtium Atletas ſtringere, vulgare fuit ac vſitatum: vt vel in Te, illud fidem acceperit; cedunt arma Togæ: & vel Te Cynea, Pyrrhus plures cepiſſe Vrbes, quàm ferro, potuerit. Adhuc reſtabat ad Coronam, vt Principi etiam notus eſſes, qui famâ Nominis Tui, non modo ſolium illiús, ſec orbem latè impleueras. Eligeris proinde vt linguâ omnium in Comitiis Generalibus functus, cōmiſſas à Palatinatu curas Patriæ, in facie omnium referres, & tuereris. Suſcepiſti id facilè, in quo non mediocriter toties, eidem muneri cùm præeſſes, verſatus eras. Veniſti eò, quo quidquid Sarmatia pulcherrimum habet, velut ad Emporium quoddā conuehit. Ibi tot inter Tullios, Sulpitios, Catones, Meſſalas, Craſſos, Hortenſios, Demoſthenas conſtitutus dum pro ea, quæ tantorum Virorum cum Principe conſeſſum decebat, majeſtate, Palatinatûs Tui Virorum Illuſtrium Seminarii Tuaq; dignitate, ore venuſtiſſimo intonares; mox, quod antea al omnibus audiebas, etiam Principis judicio, maximus animorun Rex es confirmatus. Admiſitq; hoc judicium profundius ſpeculum Regum Sereniſſimus IOANNES, & in illo triumphorum theſauro ſinu ſuo, Te depoſuit; in quo Oriens laceratus, Scytha compedibus vinctus ſeruabatur. Iamq; tunc eum honorem meruiſſe judicatus fueras: ſed neſciſſemus, quantum Tibi deberet Reſpublica; exſpectatum proinde tempus, eſt, in quo liqueret, non tam accepiſſe Te beneficium, quàm dediſſe: nec defuit in corona illa Senatûs Poloni locus, in quo hæc gemma poneretur, ſed exſpectatum eſt, vt majora, cùm in Rempublicam fuiſſent maxima, in Principem etiam merita elucerent. Ergo tandem fata viam inuenêre; quâ ad hanc, quam nunc fortunatiſſimus auſpicaris, meritorum coronam deuenires. Stator Imperij noſtri Iupiter Sarmaticus, Inuictiſſimus & Glorioſiſſimus Orientis Triumphator IOANNES III. dum ſeculorum opus in Comitiis Regni Generalibus Varſauiæ moliretur, cùm Viennam, cùm Auſtriam, Imperium, totam Chriſtianitatem cogitaret; illiq; Polona pararet auxilia: ſubtraxerat ſors inuida Comitiis illis, Palatinatûs Tui Conſiliarios, dum coaleſcere Ciuium animi non poterant. Sed

hanc injuriam Patriæ, ſuamq; famam vindicantes, ita poſt conuenere; vt non tricorporis Gerionis monſtrum; ſed ſeptem Diſtrictuum vnum quaſi euaderet corpus, etiam fide publica tanquam vnione mediante. Ita coniuratos Ciuium animos, quos ipſe ad hoc induxeras, deſcriptoſq; plures, quàm trecentos quos Mutius Porſennæ recitauerat, contra Patriæ, Patriſq; Patriæ hoſtes, tuliſti Principi, & iam conſpirata omnium vota, cum Principis animo, in Te ipſum inueniſti: iuiſti eloquentiſſimus Palatinatûs Tui Tullius; & iam non Roſtra ſed Curulem aſcenſurus deſtinaris. Viderat porro ille animorum Cato, hunc in Te fidei erga ſe & Rempublicam Zelum: eumq; vt candidè dilexit; ita eo poſuit in loco, ex quo latiùs tua merita ſpectarentur. Vidit prudentia illa, quâ Epidaurio ſerpente cernit acutiùs, vt optimos legat; vidit inquam & æſtimauit, illibatæ fidei pectus, actorum & agendorum dexteritate, ſummâq; prudentiâ fultum, quod auguſtorum facile capax foret Probauit Lydius ille lapis, aurum approbās, reijciens orichalcum, meritorum Tuorum pretium, quæ ſine tinnitu, verè aurea, pondus æternitatis explerent: gratulatuſq; virtuti Tuæ, quòd coronam illi arcana ſeries ab alto hucuſq; diſtulerit; donec haberet ipſe, quo eam abundē coronaret. exoritur non exoratus, offert non offerenti: præuenit beneficio, ne præueniretur petitis. An enim fas erat differe, quod Patria, quod Ciues quod vniuerſi homines tantoperè exſpectabant. eiq; Regium non præſtare fauorem, quem ſuperum fauor, eo ipſo dignaretur honore; cùm aduerſùs viſcerum Patriæ teredinem, eius Asciam armando, hanc illi præpararet Curulem. Interea non Tibi poſt labores quies, non otium: ſed amplius mereri de Republica animiſq; Ciuium placet. Impoſitum proinde à Palatinatu Lublinenſi, oneroſiſſimum Commiſſarii munus, Tibi eſt; vt etiam Virorum Martialium animos vincens, eò firmiorem feciſſes gradum ad coronam. Non iam memoro, quanta cum laude, & æſtimatione virtutis fideiq; ſpartam illam obieris: nam id per ora omnium ſonat ſonabitq;. Non Tibi in decernendis ſtipendiis mora: non illis parta ſanguine armorum præmia Tecum in laboris præmium diuiſa: cùm ſummi præmii loco reputares, omnium, cum laude & veneratione amorem. Cùm verò ita notus nimis omnibus, carus, ac venerabilis eſſes; non Tibi ipſi ignotus vixiſti, nefas eſſe ſciens, ita aliena agere vt Tui obliuiſcaris.

Quis

Quis iam hic Tullius, quis Demoſthenes? qui Tua immortalia geſta, non laudare, ſed enarrare poſſit? non eſt iſtud exilis Oratoris opus, cui Homeri Pliniiq; impares. Non mihi proinde priuatam domeſticam vitam Tuam laudare, (quid enim mea laus Tibi lucis? plus caliginis adferre poteſt) animus eſt: ſed ne recenſere quidem facta omnia, quorum ſola immenſa æternitas numerum in compendio refert: ſed præcipua tantum capita, ſummis digitis decerpere. Habet hoc præcipuum magna fortuna, quod nihil tectum occultumq; eſſe patitur. Principum verò & Magnatum non tantum domos, verum & cubicula, & ſecretiores receſſus pandit; omniaq; ibi, etiam Gygis annulo celata, famæ ac poſteris noſcenda exponit. Tibi verò ILLVSTRISSIME DOMINE, non certè quidpiam ſufficientius, aut accommodatius ad gloriam fuerit; quàm penitiùs inſpici. Maxima ſunt ea quæ teſte cælo, in publico agis. at non minora quæ limine tenes. Magnum eſt, quod infacie orbis ſis optimus, non minus quod domi. Glorioſum eſt, quod præclaris Virtutum fulgoribus illuſtres Patriam; glorioſiùs, quod domeſticos Tuos vitiorũ caligine mergi non ſinis; vt cùm ipſe rectiſſimus ſis, omnes circa Te, Tui ſimiles effeceris. Multorum illuſtrium claritati officiebant domeſticæ tenebræ: & hæc infamia, illam gloriam peſſumdabat: Tibi omnia in decus cedunt. vt Domum Tuam, Cyri Regiam merito affirmârim; cuius vniuerſæ fabricæ moles, non tantum lapidibus candidis & nigellis, auro reuinctis ſtructa, & columnis variorum colorum marmoreis, feneſtris argenteis conſpicua; ſed ipſis etiam tegulis, Praſino lapide formatis decora, Tuæ examuſſim Architectæ Asciæ opus eſt. Si enim alti ſanguinis propaginem, eiuſq; Sanctiſſimam educationem, ſub Illuſtriſſimæ Cõiugis Tuæ, quâ nihil claritate generis excellentiùs; cum in eodem gloriæ Campo, natiui ſplendoris auſpicia ſumpſerit, in quo Regni & Chriſtianitatis, defenſionis & gloriæ ſcùtum eſt: nihil ſanctiùs cùm omnis Sanctioris vitæ idea ſit & amuſſis: maternâ verè heroicâ curâ intueor; Hecatombe eſt argiuo clypeo digna. quæ Tibi in Roſis ingentia ſpei fulcra, coloſſos immortalitatis erexit. Si per Domûs aream oculos circumfero; omnis recti probiq; aduerto exempla: Non hic exulant, integritas, pietas,

& candor ab aula; ſed perenne poſſident domicilium. Iam quanta ſit cultûs Diuini cura, quantus Zelus: loquitur monumẽtum ære perennius, Templum Wiſniovenſe, Tuâ munificentiâ, à primis erectum fundamentis, conſummatum, dotatum, omniq; Eccleſiaſticâ ſupellectili abunde ornatum, & auctum: quanta in pauperes liberalitas, teſtatur ibidem erectum & ditatum Noſocomium: teſtantur vbiq; locorum egeni, quorum miſeriæ Pater; teſtatur tum omnis Religioſorum cætus; tum ſpecialiter, Sacer DIVI FRANCISCI Ordo, cuius ſingularis fautor & Patronus prædicaris. Idem quàm modicus cultu, quàm ciuilis inceſſu, quàm demiſſus animo: vt infimis etiam æquari velis; & cùm nihil ad augendum faſtigium ſuperſit; etiam ſic creſcere debeas, Te ſcilicet omnibus ſubmittendo. Porrò quàm Clero reuerentiam, quam hoſpiti humanitatem, quàm omnibus omnia præſtes & exhibeas, vbi non miſtæ crudis ſcommatibus dapes, ſed vera, ſed ſincera, & ornata grauitate, omnia nullam Tui ſatietatem faciunt; expertos appello. Sed quid ego ſingula conſector? ceu vel tenui calamo circumſcribere; vel (cùm nullum temporis punctum, non vt Apelli dies, aut meritis ſterile, aut vacuum laude ſit) omnia recenſere poſſim; quæ faſtis æternitatis ipſa immortalitas inſculpſit: dignaſq; tantis meritis, terreſtres ac Sydereas parauit coronas. Ad quas vt tandem capeſſendas, aliquando progrediaris, tempus vtiq; eſt: Tempus Te illi præſtare Curuli, vt eam ſuſcipiendo & gerendo facias auguſtiorem. Verùm & iſte paſſus, non ſine meritis tranſigendus: optimè enim magiſtratus magiſtratu, honor honore petitur: nec magis quidquam ad ſequentes honores prodeſt, quàm peracti. Vocant proinde & inuitant Ciuiũ Palatinatûs Lublinenſis vota; poſcuntque ut omniũ dignitatem, omniũ ſenſus, quos de tuenda & conſeruanda Republica haberent, Reipublicæ in Comitiis generalibus congregatæ referas Orator. Recuſare non potes: nam affectus fratrum, gloriæ ſtimulus, probata virtus, merendi ſtudiũ, vehementiùs inſtant & vrgent. Suſcepiſti igitur volens nolenſq; Munus hoc; & ad illud gloriæ coronarũque theatrũ perrexiſti. Vidit iterũ quem toties ante viderat, illa omni Lugdunenſi major Ara, ille Areopagus Poloni Senatûs, vidit Princeps ipſe, pertina-

tina-

tinaciter meritis continuis, ad gloriam, ad coronã contendentẽ: & ne sola rectè factis merces, rectè factorũ conscientia sit, sed insomnes circa bonum publicum vigilias, pretiosum Darii ceruical reponat; maximum in primis præmium, suum Princeps iudicium, suum ad coronam Suffragium; tùm pridem destinatã, Tibi obtulit Palatinatûs Lublinensis curulem. Ad hoc audiebas, Senatûs, populiq; applausum. nec vnius illud Principis iudicium fuit; sed qui vbiq; sunt homines, idem sentiebant, idem expetebant, vt plane Palatinus esses, antequam fieres; eras enim in animis, in iudiciis omnium. O rarum ad honores iter! non Te propria cupiditas, non ambitio, sed pertinacissima meritorum assiduitas, sed publica omnium vota, & efficacissimum rogandi genus actio gratiarum, fecêre Senatorem. procul quippe, eorum proscripseras ambitum, quibus splendidiùs est habere nomina, quàm mereri: cùm plumbeæ duntaxat animæ tollant ad fastigia manus, mentes aureas ægrè cogas.

Ergo quò Te Tua deduxêre merita conscende felix: ingredere fortunatissimo passu, hanc honoris Tui augustam ædem, Tuâ Tibi ARCHITECTÂ ASCIA fabricatam; cuius non solùm limina, sed & animos omnium peruasisti. patent intima cordium, patent arcana animorum, quibus pridem inuisceratus es. Stringit dulcissimo complexu Patria, cuius filialem affectum materno amore prosequebatur semper: gratulaturque sibi Te intimioribus cordis sui admotum penetralibus; cujus si vnquam fidele experta est; nunc tantò fidelius obsequium sperat. Amplectitur Princeps tantum Ciuem: quem si pro integritate Patriæ, Thronique sui majestate zelantem semper, vidit; nunc tantò vberiùs, tantò arctiùs obligauit. Veneratur Senatus, tantum Collegam & Conciuem, curarum suarum leuamen, consiliorum socium, honoris participem. Applaudit Vniuersa Respublica tanto Senatori; cui cùm toties dignitatem salutemq; suam credidisset; nunc incumbet vt Atlanti. Recipit in sinum suũ Palatinatûs Lublinensis Nobilitas, quem tandem sibi exorata numina concesserunt: cingitque publicæ lætitiæ columnis, obeliscis, Curulem Tuam, quam Cedris meritorum perennem, gemmis virtutum decoram, ad Sydera promouet ASCIA Tua. nectit perennaturas laurus, Pal-

las Iagellonica Bipenni Tuæ: quæ si Mineruæ olim in capite Iouis, geniales toros dederat, etiam illi, formatrici quondam suæ, inter literatos eius applausus, suauissimum nouæ felicitatis & amplissimæ Protectionis Genethliacon, pollicetur. Non inuidebit credo POLONIA Epaminondas Thebis, Xerxes Cyrosq; Persis, Lacedæmoniis Lysandros. Carthagini Annibales, Romæ Cæsares, Scipiones, Augustos, Traianos; cùm in vna Illustrissimorum TOPOREORVM gente numeret tot Zopyros. illos iam, quamuis superstitiosa antiquitas DEOS fecerat; homines fuisse mortales, tempus docuit, in ære fusis etiam simulacris: Illustrissimum Chalybem Tuum, (votorum hæc ad Superos nostrorum summa est) struthio iste omnium edacissimus non consumet: quia immortalis gloriæ & honoris ASCIAM Diuina dextera fecit

ARCHITECTAM.



